Annus XIX - Vol. XIX 5 Maii 1927 Num. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Constitutiones Apostolicae, p. 169 - Litterae Apostolicae, p. 176 - Epistolae, p. 181 - Declaratio, p. 185.

Acta SS. Congregationum: *S. C. S. Officii:* Instructio de sensuali litterarum genere, p. 186 - *S. C. Consistorialis:* I. Rheginen.-Nicotrien.-Oppiden. Dismembrationis, p. 189. II. Provisio Ecclesiarum, p. 190 - *S. C. de Propaganda Fide:* I. Provisio Ecclesiae, p. 191. II. Nominationes, p. 191. III. Approbationes, p. 192 - *S. C. Rituum:* Romana. De Missis in oratione XL horarum, p. 192 - *S. C. de Seminariis:* Declaratio de cursu philosophico laureae in S. Theologia et in iure canonico praemittendo, p. 194.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota:* Citationes edictales. I. S. Marci (Laderchi-Molino), p. 195. II. Romana (Nunziante-Frewen), p 196.

Diarium Romanae Curiae: S. C. dei Riti: Congregazioni Generale e Antipreparatoria, p. 197 - Segreteria di Stato: Nomine, onorificenze - Maggiordomato: Nomine - Necrologio, p. 197-200.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XXVII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.

Administratio: Libreria Vaticana — Roma.

Pretium annuae subnotationis
Pro Italia, Lib. **20** — Extra Italiam, *L. it.* **35** —
Pretium unius fasciculi, Lib. **3** —

«*Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur*» (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XIX, n. 5 - 5 Maii 1927)

ACTA PII PP. XI

Constitutiones Apostolicae

PAG.

I. *Pastoris aeterni vices.* - Dismembrationis et erectionis dioecesis Amarillensis. - *3 Augusti 1926* 169

II. *Inter praecipuas.* - Dismembrationis et erectionis novae provinciae ecclesiasticae Florianopolitanae. - *17 Ianuarii 1927* 172

Litterae Apostolicae

I. *De regulari Religiosorum.* - Adprobantur auctoritate apostolica Ordinis Hospitalarii Sancti Ioannis de Deo constitutiones ad normam Codicis revisae. - *20 Iulii 1926* 176

II. *Incliti sancti Benedicti.* - Templum abbatiale S. Mariae ad Lacum, O. S. B., dioecesis Trevirensis intra fines, ad honores Basilicae minoris evehitur. - *12 Augusti 1926*. 179

Epistolae

I. *Insignis plane.* - Ad Emum P. D. Alexium, tit. S. Callisti S. R. E. presb. Card. Ascalesi, Archiepiscopum Neapolitanum, quem legatum mittit Syracusas ad novam consecrationem templi cathedralis, Christo Regi dicandi. - *26 Decembris 1926*. 181

II. *In festo S. Ioseph.* - Ad Emum P. D. Alfonsum M. Tit. S. Mariae Angelorum in Thermis, S. R. E. Presb. Card. Mistrangelo, Archiepiscopum Florentinorum, ob quinquagesimum natalem sacerdotii eius. - *10 Martii 1927* 182

III. *Quoniam honor.* - Ad R. P. D. Paulum Felicem Beauvain de Beauséjour, Episcopum Carcassonensem, XXV episcopatus annum explentem. - *3 Aprilis 1927* 183

IV. *Peculiari quodam amore.* - Ad R. P. D. Georgium Ambrosium Burton, Episcopum Cliftoniensem, XXV episcopatus annum celebraturum. - *10 Aprilis 1927* . . .

Declaratio

Quoad veniam legendi Commentarium diurnum, cui titulus « L'Action Française », a Sanctitate Sua in Indicem relatum . . 185

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

PAG.

Instructio. - Ad Archiepiscopos, Episcopos ceterosque locorum ordinarios: de sensuali et de sensuali-mystico litterarum genere. - *3 Maii 1927* 186

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *Rheginen.-Nicotrien.-Oppiden.* - Decretum dismembrationis et aggregationis. - *12 Martii 1927* 189

II. Provisio Ecclesiarum 190

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. Provisio Ecclesiae 191

II. Nominationes 191

III. Approbationes 192

S. CONGREGATIO RITUUM

Romana. - Instructio circa Missas in oratione XL horarum celebrandas. *27 Aprilis 1927*. 192

S. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

Declaratio circa lauream. - *29 Aprilis 1927*. 194

ACTA TRIBUNALIUM

S. ROMANA ROTA

Citationes edictales:

I. *Sancti Marci et Bisiniani.* - Nullitatis matrimonii (Laderchi-Molino). - *4 Aprilis 1927* 195

II. *Romana.* - Nullitatis matrimonii (Nunziante-Frewen). - *3 Maii 1927* . . 196

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. S. Congregazione dei Riti: *Congregazioni Generale e Preparatoria* 197

II. Segreteria di Stato: *Nomine. Onorificenze* 197

III. Maggiordomato di S. S.: *Nomine* . . . 200

IV. Necrologio 200

Annus XIX - Vol. XIX 5 Maii 1927 Num. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

S. ANTONII-DALLASENSIS-ELPASENSIS

DISMEMBRATIONIS ET ERECTIONIS DIOECESIS AMARILLENSIS

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Pastoris aeterni vices, meritis licet imparibus, gerentes, omni studio curare debemus, ut spirituali christifidelium bono quam maxima diligentia consulatur. Iam vero ad hoc valde prodest recta orbis catholici circumscriptio, quae, si temporum et locorum condicionibus aptius respondeat, leviores sacris Pastoribus labores et gregi ipsis commisso ad aeternam salutem consequendam viam reddit faciliorem. Cum itaque in aliquibus regionibus Foederatorum Americae Septentrionalis Statuum ad dioeceses S. Antonii, Dallasensem, et Elpasensem pertinentibus, res catholica novissimis hisce temporibus non parvum susceperit incrementum, pro animarum et Ecclesiae bono, omnibus perpensis et attenta praesertim locorum distantia, eas ab ipsis avellere et in separatam dioecesim constituere censuimus ac decrevimus. Quare, praehabito favorabili voto tum praedictarum dioecesium Ordinariorum, tum venerabilis fratris Nostri Petri Fumasoni-Biondi, Archiepiscopi Diocletani, Delegati Apostolici in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, de consulto etiam dilectorum filiorum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel sua interesse praesu-

mant, consensu, a memoratarum dioecesium S. Antonii, Dallasensis, et Elpasensis territorio has quae infra enumerantur partes seiungimus: a dioecesi S. Antonii comitatus quibus nomen *Martin*, *Howard*, *Midland*, *Glasscock*, *Sterling*, *Upton*, *Reagan*, *Irion*, *Tom Green*, *Concho*, *Crockett*, *Schleicher*, *Menard*, *Sutton*, *Kimble*, dimidium comitatum *Mitchel et Coke*, et octavam partem comitatus *Runnels* cum suis octo paroeciis; a dioecesi Dallasensi partem illam, quae comitatus complectitur nuncupatos *Dallam*, *Sherman*, *Hansford*, *Ochiltree*, *Lipscomb*, *Hartley*, *Moore*, *Hutchison*, *Roberts*, *Hemphil*, *Oldham*, *Potter*, *Carson*, *Gray*, *Weeler*, *Deaf Smith*, *Randall*, *Armstrong*, *Donley*, *Collingsworth*, *Parmer*, *Castro*, *Swisher*, *Briscoe*, *Hall*, *Childress*, *Bailey*, *Lamb*, *Hale*, *Floyd*, *Motley*, *Cottle*, *Cochran*, *Hockley*, *Lubbock*, *Crosby*, *Dickens*, *King*, *Yoakum*, *Terry*, *Lynn*, *Garza*, *Kent*, *Stonewall*, *Dawson*, *Borden*, *Scurry*, *Fischer*, *Nolan*, dimidium comitatum *Mitchel et Coke*, cum suis decem et septem paroeciis; tandem a dioecesi Elpasensi comitatus *Gaines*, *Andrews*, *Ector* et *Crane*. Ex quibus memoratis comitatibus novam dioecesim, ab oppido *Amarillo* Amarillensem nuncupandam, erigimus, cuius fines iidem erunt ac praesentes fines civiles comitatuum quibus constat; sedem episcopalem vero in eodem oppido *Amarillo* perpetuo constituimus, quod idcirco ad civitatis episcopalis fastigium evehimus una cum omnibus iuribus ac privilegiis quibus ceterae episcopales civitates fruuntur et gaudent. Huic autem ita erectae cathedrali Ecclesiae, eiusque pro tempore Episcopis tribuimus honores, insignia, favores, iura ac privilegia, quibus aliae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites in America Septentrionali iure communi vel legitima consuetudine pollent ac fruuntur. Ipsam vero cathedralem Ecclesiam suffraganeam constituimus Ecclesiae S. Antonii, quam aliis Apostolicis sub plumbo Litteris *Pastoris Aeterni* die hac tertia Augusti huius anni datis ad Ecclesiae Metropolitanae gradum et dignitatem evehimus ac eiusdem Cathedralis Ecclesiae Amarillensis pro tempore Episcopos iuri metropolitico S. Antonii Archiepiscopi subiicimus. Nobis tamen ac Apostolicae Sedi facultatem reservamus libere novam decernendi istius dioecesis dismembrationem quoties id in Domino expedire visum fuerit. Quum autem temporum adiuncta prohibeant, quominus cathedralis Ecclesiae Capitulum modo instituatur, iubemus ut, loco Canonicorum, ad tramitem Codicis iuris canonici (Can. 423 et seq.) Consultores eligantur. Mandamus insuper ut quamprimum fieri poterit saltem parvum Seminarium dioecesanum, iuxta Codicis praescripta et normas a Sacra Congregatione de Seminariis traditas, erigatur. Quod autem attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae

sacri canones decernunt. Quod vero ad clerum praecipue pertinet, statuimus ut sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime exstant. Ordinariorum autem dioecesium a quibus Amarillensis dioecesis, ut supra diximus, originem trahit, erit omnia documenta et acta, quae novam dioecesim respiciunt, quam primum fieri poterit, eius Cancellariae episcopali tradere in tabulario servanda. Episcopalem mensam constituent curiae emolumenta et ceterae oblationes quae a fidelibus, in quorum bonum nova dioecesis erecta est, praeberi solent. Volumus autem et mandamus ut venerabilis frater Noster Petrus Fumasoni-Biondi, illic Apostolicus Delegatus, ex oppidi *Amarillo* paroecialibus ecclesiis illam eligat et constituat nomine Nostro in novae dioecesis cathedralem ecclesiam, quae magis apta et digna videatur; quam idcirco ad cathedralis dignitatem extollimus sub eodem titulo, quo modo appellatur, simulque ei omnia tribuimus iura, privilegia, insignia, honores, favores et gratias, quibus ceterae cathedrales ecclesiae iure communi fruuntur.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse; sed eas tamquam ex certa scientia et potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et decernimus. – Hisce itaque ut supra dispositis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda quem supra diximus venerabilem fratrem Nostrum in Statuum Foederatorum Republica Delegatum Apostolicum deputamus, ei propterea tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in officio vel ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad Sacram Congregationem Consistorialem mittendi infra sex menses exsecutionis peractae authenticum exemplar. Volumus autem et mandamus ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris tribueretur, si exhibitae vel ostensae forent. – Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Nemini

autem has Litteras Nostras dismembrationis, erectionis, evectionis, subiectionis, mandati, statuti, derogationis et voluntatis Nostrae infringere aut eis contraire liceat. Si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo sexto, die tertia mensis Augusti, Pontificatus Nostri anno quinto.

✠ C. Card. DE LAI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *S. C. Consistorialis Secretarius.*

O. Card. CAGIANO, *S. R. E. Cancellarius.*

Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*
Alfonsus Carinci, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXXIV, n. 57. - M. Riggi.

II

FLORIANOPOLITANA

DISMEMBRATIONIS ET ERECTIONIS NOVAE PROVINCIAE ECCLESIASTICAE

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inter praecipuas, quibus continuo premimur sollicitudines, ad illam magis excitamur, ut quae in exploratam cedant christiani populi utilitatem omni studio decernere satagamus, atque ideo, mutatis temporum et locorum condicionibus, novo ordine, si id necessitas postulet, ecclesiasticas circumscriptiones in universo catholico orbe constituere. Cum itaque Status seu provincia S. Catharinae in Brasilia, unicam tantum Florianopolitanam dioecesim complectens, tam late pateat et in eo adeo creverit incolarum numerus, ut impares evadant unius vires Episcopi ad pastorale ministerium recte ubique obeundum, venerabilis frater Ioachim Domingues de Oliveira, hodiernus Florianopolitanus Antistes, in animarum salutem intendens, ab Apostolica Sede postulavit, ut in tres partes regio illa divideretur ac novae duae dioeceses in ea erigerentur. In quam sententiam cum convenirent quoque Apostolicus Nuntius aliique religiosi viri et cum insuper in omnium votis esset, ut S. Catharinae Status in ecclesiasticam

provinciam constitueretur et Florianopolis, eiusdem Status urbs princeps, novae provinciae metropolis fieret, supplices Nobis preces ad utramque gratiam obtinendam porrectae sunt.

Quapropter de consilio dilectorum filiorum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis consistorialibus praepositorum et suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel sua interesse praesumant, consensu, et prae oculis habentes quae in Apostolicis sub plumbo Litteris *Ad universas orbis Ecclesias*, die vigesima septima mensis Aprilis, anno Domini millesimo octingentesimo nonagesimo secundo datis, Sanctae Sedi hac de re sunt reservata, Apostolicae potestatis plenitudine quae sequuntur perpetuum in modum decernere statuimus. Imprimis Florianopolitanam dioecesim, ut nunc exstat, a metropolitico iure archidioecesis Portalegrensis in Brasilia, cui tamquam suffraganea ipsa hucusque subiecta est, distrahimus et eximimus eamdemque distractam et exemptam declaramus.

Dein universum eiusdem dioecesis territorium in tres distinctas partes dividimus, in quarum una ipsam dioecesim Florianopolitanam circumscribimus et coarctamus, in Metropolitanam sedem, uti inferius, constituendam. In ceteris vero duabus partibus duas alias dioeceses ex novo erigimus, quarum una ab urbe *Joinville* « Joinvillensis », altera ab urbe *Lages* « Lagensis » nuncupabitur. Quarum autem fines iidem erunt ac fines paroeciarum quae ipsis, ut infra, assignantur ac attribuuntur.

Dioecesis nempe Florianopolitana limitibus circumscripta remanet ad quinquaginta dumtaxat paroecias, e quibus constant duodeviginti civilia municipia quae vulgo nuncupantur: *Florianopolis*, *Araranguá*, *Urussanga*, *Jaguaruna*, *Tubarão*, *Orleans*, *Laguna*, *Imaruhý*, *Garopaba*, *Palhoça*, *São José*, *Biguassú*, *Tijucas*, *Nova Trento*, *Brusque*, *Porto Bello*, *Camboriú*, *Itajahý*.

Nova dioecesis Joinvillensis duodeviginti constituetur paroeciis intra ambitum contentis horumce octo civilium municipiorum, quae sic appellantur: *Joinville*, *São Francisco*, *Paraty*, *Blumenau*, *Campo Alegre*, *São Bento*, *Mafra*, *Itayopolis*.

Altera nova dioecesis Lagensis complectetur sex paroecias in octo etiam civilibus municipiis sitas, quibus haec nomina sunt: *Lages*, *São Joaquim*, *Curitybanos*, *Campos Novos*, *Canoinhas*, *Porto-União*, *Cruzeiro*, *Chapecó*.

Praeterea sedem et cathedram dioecesium Joinvillensis, et Lagensis respective in civitatibus vulgo *Joinville* et *Lages* e quibus illae nomen mutuantur, perpetuo constituimus, quas idcirco ad civitatum episcopalium fastigium evehimus una cum omnibus iuribus ac privilegiis quibus ceterae civitates episcopales in America Latina fruuntur et gaudent.

Ecclesias autem S. Francisco Xaverio in urbe Joinvillensi et B. Mariae Virgini Gaudiosae in urbe Lagensi dicatas sub iisdem invocationibus et titulis ad Cathedralium dignitatem extollimus, simulque eis earumque pro tempore Episcopis tribuimus honores, insignia, favores, gratias, privilegia, et iura, quibus ceterae cathedrales ecclesiae ac ipsarum Praesules in America Latina iure communi vel legitima consuetudine pollent.

Quod vero attinet ad harum dioecesium regimen et administrationem, ad Vicarii capitularis, seu Administratoris sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones decernunt.

Quod autem ad clerum praecipue attinet statuimus ut, simul ac dioecesium erectio facta fuerit, eo ipso presbyteri censeantur adscripti Ecclesiae illi in cuius territorio legitime exstant.

Quum vero temporum adiuncta prohibeant quominus in his dioecesibus canonicorum Capitulum modo instituatur, iubemus ut loco canonicorum dioecesani Consultores ad normam iuris canonici (can. 423 et seq.) eligantur.

Mandamus insuper ut quamprimum fieri poterit saltem parvum Seminarium dioecesanum, iuxta Codicis decreta ac Sacrae Congregationis de Seminariis normas erigatur.

Statuimus vero ut ipsarum novarum dioecesium Joinvillensis et Lagensis sumptibus bini delecti iuvenes, aut saltem modo singuli in Pontificium Seminarium Pium Latinum-Americanum de Urbe non intermissa vice in opem Ecclesiae instituendi mittantur.

Omnia vero documenta, iura et acta ad praefatas novas dioeceses earumque clericos et fideles spectantia quamprimum fieri poterit a cancellaria dioecesis Florianopolitanae respective tradantur cancellariis novarum dioecesium ut in propriis archivis reponantur ac religiose serventur.

Episcopalem mensam novarum dioecesium constituent curiae emolumenta et oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum novae dioeceses erectae sunt, praeberi solent, praeter ea quae ad hunc finem iam, ipsa civili auctoritate praeeunte, collecta sunt.

Florianopolitanam autem dioecesim, uti supra limitibus circumscriptam, eiusque cathedralem Ecclesiam, oblatis votis obsecundantes, eadem Apostolica auctoritate, itemque suppleto, quorum intersit, vel sua interesse praesumant consensu, ad Metropolitanae sedis fastigium et dignitatem evehimus simulque eius cathedrale Capitulum ad Capituli metropolitani gradum perpetuo evehimus et extollimus cum omnibus iuribus, privilegiis et praerogativis quibus metropolitanae Ecclesiae earumque Capitula iure communi vel legitima consuetudine pollent.

Cuius praeterea archidioecesis Florianopolitanae eiusque pro tempore Archiepiscoporum metropolitico iuri, tamquam suffraganeas, subiicimus memoratas dioeceses Joinvillensem et Lagensem, reservata tamen Nobis et Apostolicae Sedi facultate novam ineundi in hac ipsa ecclesiastica provincia dismembrationem seu circumscriptionem quovis modo ac tempore id expedire in Domino visum fuerit. Florianopolitanis insuper pro tempore Archiepiscopis omnia concedimus iura, insignia, privilegia et honores quibus et ceteri Archiepiscopi in America Latina iure communi vel legitima consuetudine fruuntur et gaudent, praecipue vero ius intra fines suae provinciae Crucem ante se ferendi et Pallium adhibendi, quo tamen uti poterunt, postquam illud in Sacro Consistorio rite postulatum ac obtentum fuerit.

Quare venerabilem fratrem Ioachim Domingues de Oliveira, qui modo Florianopolitanae sedi praeest, Archiepiscopi titulo, dignitate iuribus ac privilegiis ut supra augemus.

Hisce itaque ut supra dispositis ad eadem omnia exsequenda deputamus venerabilem fratrem Apostolicum Nuntium in Brasiliana Republica, ei propterea tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, onere eidem imposito ad Sacram Congregationem Consistorialem intra sex menses ab his Litteris datis computandos, authenticum exemplar mittendi peractae exsecutionis.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse; sed eas, tamquam ex certa scientia et potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et decernimus. – Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis.

Volumus autem et mandamus ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris tribueretur, si exhibitae vel

ostensae forent. Nemini autem has Litteras Nostras dismembrationis, erectionis, subiectionis, mandati, statuti, derogationis et voluntatis Nostrae infringere aut eis contraire liceat. Si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo septimo, die decima septima mensis Ianuarii, Pontificatus Nostri anno quinto.

✠ C. Card. DE LAI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *S. C. Consistorialis Secretarius.*

O. Card. CAGIANO, *S. R. E. Cancellarius.*

Ioseph Wilpert, *Decanus Protonotariorum Apostolicorum.*

Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. *XXXIV*, *n. 56.* – M. Riggi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

ADPROBANTUR AUCTORITATE APOSTOLICA ORDINIS HOSPITALARII SANCTI IOANNIS DE DEO CONSTITUTIONES AD NORMAM CODICIS REVISAE.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — De regulari Religiosorum coetuum disciplina servanda solliciti, Romani Pontifices, decessores Nostri, eorundem Ordinum constitutiones statutaque supremae Apostolicae auctoritatis sanctioni reservarunt; eaque ad maiorem Dei gloriam populique christiani salutem, immutare, emendare et locorum temporumque necessitatibus aptare consueverunt. Quapropter, cum hodiernus Prior generalis Hospitalarii Ordinis Sancti Ioannis de Deo, suo ac provincialium moderatorum atque universae familiae religiosae, cui praeest, nomine, enixis Nos precibus rogaverit ut memorati Ordinis regulas et constitutiones, iam a Decessoribus Nostris iterum iterumque probatas, nunc ad Codicis iuris canonici normam redactas, de integro recognoscere Nostroque assensu munire dignaremur, Nos huiusmodi votis adnuendum existimavimus; idque eo libentius facimus, ut erga Ordinem ipsum, tot tantisque nominibus bene meritum ac clarum christianae caritatis speculum, perenne Nostrae etiam benevolentiae pignus permaneat. Neminem quidem latet Ordinem Fra-

trum Hospitalarium nomen atque originem suam duxisse a Ioanne Ciudad, sive « de Deo » vulgo appellato, hispano viro, qui vertente sexto decimo saeculo post varias asperasque suae vitae vicissitudines ad pauperum infirmorum solamen procurandum se divinitus vocari sensit; atque infirmorum servus pro Christo factus, in nosocomiis hospitiisque inter aegrotos ac derelictos totum, quod ei adhuc mortalis vitae fuit, bene faciendo pertransiit. Cognitum quidem est humili Dei Famulo religiosi Ordinis conditori, pietatis atque heroicae in proximos caritatis officiis continenter intento, tempus quoque defecisse regulas exarandi ; at uni tantum e sodalibus, qui virtutum illius claritate ducti, ad eum confluxerant, et in bonorum operum exercitatione atque in ministerio infirmorum sese adiutores dederunt, salutaria nonnulla de sancte vivendi ratione hortamenta reliquit. Post sancti Ioannis de Deo pretiosam in conspectu Domini mortem, iidem sodales antequam in varias regiones et civitates sive in Hispania, sive extra, discederent, ad officia caritatis exercenda iuxta Ioannis exemplum ac monita, communem certis sub regulis vitam ineundi consilium ceperunt; proptereaque ad hunc finem duos e sodalibus hanc Almam ad Urbem miserunt, qui ineuntem congregationem Summo Ecclesiae Moderatori, qui tunc temporis erat sanctae memoriae Decessor Noster Pius Pp. V, commendarent. Hic vero Ioannis de Deo sociis ut sancti Augustini regulas servarent mandavit, illisque communem habitum imposuit ac scapulare, quin tamen permitteret, ut in verum propriumque religiosum statum coirent ac sollemnia vota nuncuparent. Paucos autem post annos rec. mem. Sixtus Pp. V, piam confratrum eorumdem vitam et suscepta ab ipsis opera demiratus, per Apostolicas Litteras, die I mensis Octobris anno MDLXXXVI Piscatoris anulo obsignatas, coetum Fratrum S. Ioannis de Deo nuncupatorum in verum ac proprium Ordinem religiosum erexit, facta quidem facultate primum generale capitulum in Urbe celebrandi et proprias proinde constitutiones exarandi. Subsequenti itaque anno primum ipsum capitulum Romae habitum est, et coadunati in eo Fratres statuta Ordinis proposuere; quae tamen vix delineata ac manuscripta manserunt, donec, Paulo V Pontifice, meliorem in formam relata, per Litteras Apostolicas, die XV mensis Aprilis anno MDCXVII datas, rite probata ac praelo impressa fuere. Nonnullis iterum mutatis vel additis, dictae regulae anno MDCCXVIII per typos editae sunt, cum, prudentium virorum iudicio, adhuc illius Instituti proposito fini plene respondentes habitae sint. Sed labentibus annis, ut eaedem regulae etiam novis temporibus magis accommodatae redderentur, Ordinis Sancti Ioannis de Deo moderatoribus peropportunum visum est, impetrata huius Apostolicae Sedis venia, nonnullas alias immutationes in ipsas inferre. Vertente igitur anno MDCCCLXII rec. mem. praedecessor

Noster Pius Pp. IX Praeposito generali Ordinis praedicti commisit ut, auditis provincialibus moderatoribus, inspectisque locorum ac temporum adiunctis, servata etiam priorum constitutionum substantia, novas conscriberet regulas. Attamen cum aliae in Hispania consuetudines, aliae in Italia vigerent, res diu producta est ad unitatem obtinendam, ita ut tantum decessori Nostro Leoni Pp. XIII datum fuerit regulas ipsas opportune immutatas, antea in experimentum ad quinquennium, dein probare ac per decretum Congregationis Episcoporum et Regularium die XXX mensis Augusti anno MDCCCXC editum definitive confirmare. Verum etiam in praesens, praesertim post iuris canonici Codicis promulgationem, quaedam desiderabantur additamenta ad ipsius Ordinis bonum satius consulendum; ideoque hodiernus Prior generalis novum regularum schema Nobis exhibuit suprema Sanctae huius Sedis adprobatione muniendum.

Quae quidem emendatae constitutiones, latino sermone exaratae, a Sacra Congregatione Religiosorum Sodalium recognitae sunt, earumque tenor hic sequitur, videlicet:

CONSTITUTIONES ORDINIS HOSPITALARII S. IOANNIS DE DEO

CAPUT I

Titulus, natura et finis Ordinis

1. Titulus quo a Sancta Ecclesia Religio Nostra recognoscitur hic est ... *et quae sunt reliqua:*

Votis itaque sodalium Ordinis Hospitalarii S. Ioannis de Deo obsecundantes, ut uberiore ipsi cum fructu salutare ministerium suum in terris implere valeant, conlatis etiam consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi praepositis pro regularium familiarum negotiis pertractandis, omnibusque rei momentis attente perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum Constitutiones suprascriptas Hospitalarii Ordinis S. Ioannis de Deo plenissime adprobamus eisdemque supremum Apostolicae sanctionis robur adiicimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri vel obtinere, eidem Ordini Hospitalario a Sancto Ioanne de Deo nuncupato plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus, super

his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate vel officio constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Iulii anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

TEMPLUM ABBATIALE S. MARIAE AD LACUM, O. S. B., DIOECESIS TREVIRENSIS INTRA FINES, AD HONORES BASILICAE MINORIS EVEHITUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Incliti sancti Benedicti Ordinis referunt fasti, vertente saeculo post Christum natum undecimo, Henricum de Lucelenburch, Francorum Rheni comitem Palatinum, divino ductum amore, atque hortatu piae uxoris Adelheidis de Orlamunde, primum posuisse lapidem abbatiae ac templi Beatae Mariae Virginis ad Lacum dioecesis Trevirensis intra fines, eaque sancti Benedicti Monachis tradidisse. Constat monachorum ipsorum vigili cura atque indefesso labore inchoatam ecclesiae fabricam, mirifico excultam ornatu, felicem ad exitum fuisse perductam: atque exinde abbatiam ecclesiamque Lacensem celeberrimum monasticae vitae divinique cultus centrum evasisse. Septem per saecula domus Dei Lacensis perinsignium reliquiarum veneratione, monachorum sanctitate ac doctrina, et frequenti fidelium peregre confluentium concursu floruit. Ineunte vero saeculo decimo nono per nefarias saecularizationis leges suppressa abbatia, etiam continens ecclesia, iam mirandis artis operibus decora, derelicta iacuit ac viduata. Sed nonaginta post annos squalloris et solitudinis a sobole sancti Benedicti, a monachis nempe archiabbatiae S. Martini de Beuron restituta quodammodo revixit. Etenim ad extremam fere ruinam adducta, sacra aedes opera monachorum eorumdem novo effulsit splendore ac magnificentia, immo potiore enituit ornamento, musivis operibus et quidem pulcherrimis concinnata, ita ut procul dubio Lacensis ecclesia in praesens inter omnes aedes sacras Germaniae stylo romano constructas praestantissima dici queat. Ibi laudes

divinae ac sacrae liturgiae mysteria maximo habentur splendore, ac merito abbatia eadem et ecclesia universae illius regionis religiosae vitae cultusque divini sollemne monumentum de integro sunt recensenda. Haec animo repetentes, cum dilectus filius Fidelis de Stotzingen, Abbas Primas Ordinis sancti Benedicti, Nos enixis precibus flagitaverit ut templum enunciatum, olim oratoris ipsius abbatialem sedem, ad Basilicae minoris dignitatem evehere dignemur, Nos votis his annuendum ultro libenterque existimavimus. Idque eo magis quod petitioni eidem accedit amplissima commendatio venerabilis fratris Eugenii Pacelli, Archiepiscopi titulo Sardiensis atque Apostolici Legati in Germania; ac praeterea, vota quidem exprimens dignissimi Abbatis et monachorum praedictae abbatiae sanctae Mariae ad Lacum, ad dioecesim suam pertinentium, venerabilis frater Franciscus Rodulphus Bornewasser Episcopus Trevirensium addit praedictum abbatiale templum sollemniter fuisse a praedecessore suo Hillino Episcopo Trevirensi sub invocatione Virginis sideribus receptae consecratum, et structurae non minus amplitudine, quam artis operum splendore et antiqua fidelium religione conspicuum, nostris temporibus suprema Leonis Pp. XIII Nostri praedecessoris rec. mem. auctoritate et civilis quoque potestatis favore post varias et quidem teterrimas vicissitudines ad pristinum decus rediisse. Quam ob rem, audito venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis sedulo studio perpensis, Nos motuproprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, praelaudatum templum sive sanctuarium, in honorem Beatissimae Mariae Dei Genitricis in caelum Assumptae dicatum, continens abbatiae Ordinis S. Benedicti, Virginis Mariae ad Lacum nuncupatae, intra fines dioecesis Trevirensis, titulo ac dignitate Basilicae minoris cum omnibus et singulis privilegiis atque honoribus adnexis perpetuum in modum condecoramus.

Haec volumus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere: suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere: illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc in posterum perpetuo suffragari: sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII m. Augusti an. MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD EM̃UM P. D. ALEXIUM, TIT. S. CALLISTI S. R. E. PRESB. CARD. ASCALESI, ARCHIEPISCOPUM NEAPOLITANUM, QUEM LEGATUM MITTIT SYRACUSAS AD NOVAM CONSECRATIONEM TEMPLI CATHEDRALIS, CHRISTO REGI DICANDI.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Insignis plane est atque nobilissimis rebus praecellens Syracusana Ecclesia; siquidem, cum tam antiqua habeatur ut a decessore Nostro Leone X « prima divi Petri et prima post Antiochenam » appellata sit, Syracusani christianam fidem, quam iam inde ab apostolica aetate amplexi erant, patrocinio praesertim sanctissimae Luciae martyris suffulti, invicte semper ardenterque retinuerunt. Itaque libenter Nos certiores facti sumus eventum dupliciter faustum propediem Syracusis celebratum iri: non solum enim cathedralis illa aedes, ad egregiae quidem priscaeque artis splendorem instaurata, publico iterum cultui patefiet, sed etiam sollemnia sacra simul in caelestis Patronae honorem peragentur. Atque optimum sane est Syracusanorum civium consilium, dedicandi scilicet *Christo Regi* vetustissimum templum quod, iam a saeculo V ante reparatam salutem, fallaci sapientiae seu Minervae sacrum fuerat; nam Christus quidem vera est divina Sapientia, quae renovavit faciem terrae; Christus est pacificus Princeps, cuius gloriam atque triumphos ipsa Syracusanorum Patrona suis civibus moritura praenuntiavit. Laetamur igitur quod amantissimus ille clerus populusque, ductu quidem sollertium Pastorum, tantum praeclarumque opus perfecerit; atque ut paternam Nostram erga Syracusanos testemur benevolentiam, Pontificium Legatum in hac rei faustitate, ad eos mitti iubemus, eo magis quod probe novimus quantopere, ut eiusmodi dedicationi Legatus Pontificis adesset, cum Archiepiscopo qui nunc Syracusanae Ecclesiae praeest, tum decessori eius pientissimo fuerit in optatis. Quapropter te, dilecte fili Noster, his Litteris eligimus qui, personam Nostram gerens, Cathedralem illam aedem usitato ritu consecres, eandem Christo Regi dedices, variisque aliis caeremoniis nomine Nostro praesideas: id certe eventurum confisi ut ipse, pro tuo fidei studio et amplissima romanae purpurae dignitate, non parum conferas ad celebrationis huius decorem. De fructibus autem qui sunt inde exspectandi, dubium quidem non est quin magni iidem sint: fiet enim ut sacris his sollemnibus, tot Cardinalium Praesulumque praesentia illustratis, ad religionis ardorem magis populus exci-

tetur et Christum Regem, unam salutis spem, quem quidem Patrona sanctissima usque ad effusionem sanguinis confessa est, impensiore amore in posterum idem adorare et colere instituat. Interea Deum precantes ut optatum exitum res habeat, in caelestium munerum auspicium itemque in voluntatis Nostrae testimonium, tibi, dilecte fili Noster, Syracusanorum Archiepiscopo tam industrio, iisque omnibus qui sacris caeremoniis intererunt apostolicam benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVI mensis Decembris anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI

II

AD E.MUM P. D. ALFONSUM M. TIT. S. M. ANGELORUM IN THERMIS, S. R. E. PRESB. CARD. MISTRANGELO, ARCHIEPISCOPUM FLORENTINORUM, OB QUINQUAGESIMUM NATALEM SACERDOTII EIUS.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — In festo S. Ioseph, Deiparae Sponsi castissimi, quod appropinquat, feliciter sane annus explebitur quinquagesimus ex quo primum tu sacrum fecisti. Ut Nobis allatum est, certe pro tua modestia maluisses commemorationem huiusmodi, quae fausta in primis haberi solet, privatim agere ut, meditationi aeternarum rerum pie vacans, grates in silentio de acceptis beneficiis propitio Deo persolveres; sed clerus populusque tuus, qua est erga te pietate, omnino quidem exoptat ut publice sollemniterque hic eventus celebretur. Utrumque laude profecto dignum est; et quod ipse de te tam demisse sentias et quod grex tuus universus te, ob merita, tanto amore colat atque observet. Nos vero, qui paterno admodum animo te prosequimur, equidem benevolentiam tibi Nostram in occasione tam praeclara testatam volumus; idque libenter facimus, omnipotentem Deum una cum tuis omnibus precando ut et te quam diutissime, ad Ecclesiae istius bonum, benigne sospitet et pastoralem tuam diligentiam ubertate fructuum fecundare pergat. Scimus enim quo tu caleas studio in tanta sanctorum operum varietate provehenda: quae quidem cum in aliis litteris haud ita pridem datis, anno scilicet exeunte, archiepiscopatus tui quinto et vicesimo, nominatim iam recoluerimus, id addere hic placet te iuvenili sane animo atque alacritate, quamvis aetate provectum, adlaborare ut adulescentes, ii praesertim quos in Seminariis ad munia sacra instruendos curas, rite quidem pieque insti-

tuantur. Ne cesses igitur hoc educandi coeptum urgere, in quo sedulo sapienterque omnem fere tuae vitae cursum impendisti; sunt enim probi adulescentes, non modo meliorum temporum spes, sed etiam sollertium pastorum corona et praemium. Interea, ad fructum faustae rei augendum, tibi damus ut sollemni die, sacris operatus, benedictionem Nostro nomine adstantibus impertias, plenariam admissorum veniam eisdem proponens, usitatis videlicet Ecclesiae conditionibus lucrandam. Ac caelestium munerum praenuntiam praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, universoque clero ac populo vigilantiae tuae credito apostolicam benedictionem amantissime in Domino largimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die x mensis Martii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

III

AD R. P. D. PAULUM FELICEM BEAUVAIN DE BEAUSÉJOUR, EPISCOPUM CARCASSONENSEM, XXV EPISCOPATUS ANNUM EXPLENTEM.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quoniam honor sacrorum Antistitum honor est communis Patris, idcirco libenter equidem comperimus in eo esse istum clerum populumque ut natalem episcopatus tui quintum et vicesimum, qui appropinquat, magnis laetitiae significationibus publice concelebret. Plurimi vero faciendum est huiusmodi tuorum erga te studium; ostendit enim luculenter et quam egregia pietate atque observantia eniteat grex tuus amantissimus, et quanta sit meritorum tuorum amplitudo quae tam amplum tibi testimonium amoris conciliant. Inter alia, hoc nominatim tuae ducitur laudi, non solum te diligenter nullo non tempore sanctissima munia obiisse, sed etiam peculiari quodam obsequio Apostolicam hanc Sedem prosecutum esse; quod quidem, quamvis sit Pastorum omnium officium, dignum tamen est commendatione ac praemio. Nos igitur laetanter quidem tam fausti eventi occasione utimur ut benevolentiam tibi Nostram, opinioni parem quam de te habemus, profiteamur; idque cum per has Litteras nunc faciamus, tum in corona ipsa gratulantium tibi, licet absentes corpore, animo tamen praesentes, facturi sumus, debitas propitio Deo grates de beneficiis abs te acceptis tecum persolvendo. Atque ipsum Datorem muner[illegible] enixe precati ut te in Ecclesiae istius utilitatem quam

diutissime sospitet, ad augendum animarum fructum ac celebrationis splendorem, facultatem tibi damus ut, sollemni die, adstantibus nomine Nostro benedicas, plenam admissorum veniam eisdem proponens, usitatis Ecclesiae conditionibus lucrandam. Atque in caelestium donorum auspicium itemque in praecipuae voluntatis Nostrae signum, apostolicam benedictionem, tibi, venerabilis frater, Episcopo tuo Auxiliari, universoque clero ac populo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die III mensis Aprilis anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

IV

AD R. P. D. GEORGIUM AMBROSIUM BURTON, EPISCOPUM CLIFTONIENSEM, XXV EPISCOPATUS ANNUM CELEBRATURUM.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Peculiari quodam amore, uti patet, communis Pater sacrorum Antistites prosequitur, et quaecumque eisdem accidere possunt, secunda vel adversa, toto animo participat. Quamobrem facile intelliges, venerabilis frater, quam libenter Nos didicerimus annum te proxime celebraturum esse quintum et vicesimum ex quo ad episcopatus honorem evectus es; siquidem occasionem Nobis praestat huiusmodi eventus non modo praeclaram Nostram de te opinionem ostendendi, sed etiam paternam admodum tibi benevolentiam testandi. Non enim incompertum Nobis est qua tu semper pastorali sollertia istius gregis bonum curaveris, imprimisque pietatem in populo fovendo, sanctimonia vitae clero tuo praeeundo, recte puerorum animos conformando; cumque diligentia simul et scientia egregie niteas, et Curiam istam tabulariumque in ordinem redigenda iussisti et episcopalem domum pretiosis rebus, supellectile sacra librisque omne genus instruxisti. Merito igitur quotquot sunt virtutis tuae spectatores, maximeque filii tui amantissimi, valde tibi de faustitate rei gratulantur, lectissima quaeque exoptantes. Nos vero haec tuorum omina votis Nostris quasi cumulantes, id nominatim a Deo tibi precamur ut istum laboris tui campum suae gratiae rore fecundans, perpetuis te velit consolationibus recreare, in spe quidem aeternae mercedis. Quo autem faustae rei recordatio augustior fiat gregique tuo fructuosior, facultatem tibi concedimus ut sollemni die, sacris operatus,

praesentibus nomine Nostro benedicas, plenariam eisdem admissorum veniam proponens, usitatis Ecclesiae conditionibus lucrandam. Interea caelestium nuntia munerum apostolica sit benedictio, quam tibi, venerabilis frater, universoque tuo clero ac populo amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum. die X mensis Aprilis anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

DECLARATIO

QUOAD VENIAM LEGENDI COMMENTARIUM DIURNUM, CUI TITULUS « L'ACTION FRANÇAISE », A SANCTITATE SUA IN INDICEM RELATUM.

Cum Beatissimus Pater, die XXIV mensis Februarii a. MDCCCCXXVII, Emum Dominum Card. Ludovicum E. Dubois, Archiepiscopum Parisiensem, coram admisisset, haec quae sequuntur, quoad damnationem Commentarii diurni *L'Action Française* eidem percontanti declaravit:

1. Cum Summus ipse Pontifex memoratum Commentarium Indici librorum prohibitorum inseruerit, idem unus huiusmodi interdictione ac vetito exsolvere potest.

2. Attamen, pro sua in Galliae Episcopos benevolentia ac peculiari fiducia, eisdem facultatem facit, ut veniam dare queant, raro quidem ac gravibus tantum de causis, fidelibus suae cuiusque iurisdictioni subiectis, legendi Commentarii *L'Action Française*.

3. Quae autem generali modo iam habita sunt, aut in posterum habebuntur, rescripta legendi libros aut ephemerides prohibitos, veniam non praebent memoratum Commentarium legendi, tam sollemni documento ab ipsa Sanctitate Sua proscriptum.

Quas quidem declarationes Augustus Pontifex Emo Cardinali Archiepiscopo Parisiensi mandavit ut cum ceteris universae Galliae Cardinalibus et Archiepiscopis, in communem coetum mox conventuris, communicaret, easque publici iuris fieri iussit.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

INSTRUCTIO

AD ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS CETEROSQUE LOCORUM ORDINARIOS: DE SENSUALI ET DE SENSUALI-MYSTICO LITTERARUM GENERE.

Inter mala huius aetatis funestissima, quae doctrinam christianam de moribus penitus subvertunt atque animabus, Iesu Christi emptis pretioso Sanguine, admodum nocent, imprimis numeranda sunt ea litterarum genera quae sensualitati et libidini aut etiam lascivo cuidam mysticismo indulgent. Huiusmodi sunt praecipue fabulae romanenses, narratiunculae commenticiae, dramata, comoediae, quarum quidem scriptionum incredibiliter fecunda sunt haec tempora quotidieque maior ubique copia diffunditur.

Quae ingeniorum commenta quibus tam multi, maximeque iuvenes, tantopere capiuntur, si pudoris et honestatis finibus, non sane angustis, continerentur, non solum sine fraude delectare, sed etiam ad legentium mores conformandos prodesse possent.

Nunc vero satis dolere non licet, ut dictum est, ex hac affluentia librorum in quibus magna cum fascinatione nugacitatis par inest turpitudo, gravissimam animarum iacturam exsistere. Etenim quam plures huius generis scriptores fulgentissimis imaginibus impudica facta depingunt; obscoenissima quaeque, modo tecte, modo aperte et procaciter, omni castimoniae lege neglecta, enarrant; subtili quadam analysi vitia carnalia vel pessima describunt eaque cunctis orationis luminibus et lenociniis exornant, adeo ut nihil iam in moribus inviolatum relinquatur. Id omne quam perniciosum sit, praesertim adolescentibus, quibus fervor aetatis difficiliorem efficit continentiam, nemo est qui non videat. Volumina autem illa, tenuia saepe, parvo venalia prostant apud bibliopolas, per vias et plateas civitatum, in stationibus, quae dicuntur, viae ferreae, eademque in manus omnium mira rapiditate veniunt et familias christianas in magna et luctuosa frequenter discrimina adducunt. Nam quis ignorat litteris eius modi phantasiam fortiter excitari, effrenatam libidinem vehementer accendi et cor in coenum turpitudinum trahi?

Ceteris vero fabulis amatoriis multo peiores solent ab iis proferri qui, horribile dictu, pabulum morbosae sensualitatis rebus sacris cohonestare non verentur, amoribus impudicis quamdam pietatem in Deum et religiosum mysticismum, falsissimum quidem, intexendo: quasi Fides cum rectae vivendi normae negligentia, imo impudentissima infitiatione, componatur et virtus religionis cum morum depravatione consocietur. Contra, sanctum est vitam aeternam neminem consequi posse, qui, licet veritates divinitus revelatas vel firmissime credat, praecepta tamen a Deo data non custodit, cum christiani hominis ne ipsum quidem mereatur nomen quicumque fidem Christi professus, Christi vestigiis non ingreditur: « Fides sine operibus mortua est » (Iac., 2, 26) monuitque Salvator noster: « Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum » (Matt., 7, 21).

Ne quis vero illa opponat: in pluribus illorum librorum nitorem et ornamenta orationis vere laudanda inesse, psychologiam hodiernis inventis congruentem praeclare doceri, lascivas autem corporis voluptates eo reprobari quod exprimantur, ut sunt, foedissimae, aut quod interdum cum conscientiae angoribus coniunctae ostendantur, vel quod patefiat quam saepe extrema turpissimi gaudii luctus cuiusdam poenitentiae occupet. Nam neque scribendi elegantia, nec medicinae aut philosophiae scientia – si modo his litterarum generibus ea continentur – nec mens, quaevis ea sit, auctorum impedire unquam possunt quominus lectores, quorum generatim, propter naturae corruptionem, magna est fragilitas magnaque ad luxuriam propensio, paginarum immundarum illecebris sensim irretiti, et mentibus pervertantur et cordibus depraventur, ac, remissis habenis cupiditatum, ad scelera omnis generis delabantur, vitamque ipsam, sordibus oppletam, fastidientes, haud raro se ipsi interimant.

Ceterum quod mundus, qui sua quaerit usque ad contemptum Dei, his libris delectetur, eosdemque divulget, mirandum non est; sed maxime dolendum, a scriptoribus qui christiano nomine se iactant, operam studiumque in tam exitiosas litteras conferri. Numquid fieri potest ut principiis ethicae evangelicae adversando, adhaereatur Iesu benedicto, qui omnibus, ut carnem cum vitiis et concupiscentiis suis crucifigant, praecepit? « Si quis vult – inquit – post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me » (Matt., 16, 24).

Atque eo quidem audaciae et impudentiae scriptores processisse non paucos videmus, ut ea ipsa vitia suis libris in vulgus spargant, quae Apostolus vel nominari a christifidelibus vetuit: « Fornicatio autem, et omnis immunditia... nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos » (*Eph.*, 5, 3). Di-

scant isti tandem aliquando se duobus dominis servire non posse, Deo et libidini, religioni et impudicitiae. « Qui non est mecum – ait Dominus Iesus – contra me est » (Matt., 12, 30), ac certe cum Iesu Christo non sunt scriptores sordidis descriptionibus bonos depravantes mores, qui societatis civilis ac domesticae sunt verissima fundamenta.

Itaque perspecta litterarum lascivarum colluvie, quae quoquo anno latius omnes fere nationes inundat, Sacra haec Suprema Sancti Officii fidei et moribus tuendis praeposita Congregatio, Apostolica auctoritate ac nomine SSmi Domini Nostri Pii Divina Prov. Papae XI, omnibus locorum Ordinariis mandat, ut omni qua possunt ope tanto tamque praesenti malo mederi conentur.

Profecto ipsorum est, qui a Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei, in omnia, quae in suis dioecesibus typis imprimantur et edantur, solerter diligenterque invigilare. Neminem autem illud effugit, libros, qui toto orbe hodie vulgantur, longe crebriores esse quam qui a Sede Apostolica examini possint subiici. Propterea Pius X s. r. Motu-proprio « *Sacrorum Antistitum* » haec edixit: « Quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exsulent fortiter contendite, solemni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat, adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut serior quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit ».

Nec vero talium voluminum et opusculorum pleraque, quamquam perniciosissima, speciali Supremae huius Congregationis censura plecti valent. Quare Ordinarii ex canone 1397 § 4 C. I. C. per se aut per Consilia *a vigilantia*, quae quidem Summus idem Pontifex, litteris encyclicis « *Pascendi dominici gregis* » instituit, sedulo naviterque gravissimum istud munus explere studeant; neque opportune denunciare in dioecesanis Commentariis praetermittant eosdem libros uti damnatos et quam maxime noxios.

Praeterea quis ignorat Ecclesiam generali lege iam statuisse, ut libri pravitate infecti, qui morum integritatem data opera vel ex professo laederent, vetiti haberentur omnes, perinde ac si in *Indicem* librorum prohibitorum relati essent? Consequitur inde ut peccatum letale ab iis admittatur qui sine permissione debita librum non dubie salacem legant, etiamsi ab auctoritate ecclesiastica non sit nominatim damnatus. Et quia de hac re, maximi quidem momenti, falsae et exitiosae opiniones obtinent inter christifideles, ideo locorum Ordinarii pastoralibus admonitionibus curent, ut imprimis parochi eorumque adiutores animum in id intendant, et fideles opportune edoceant.

Insuper omnibus declarare qui libri nominatim, pro singularum dioecesium necessitatibus, ipso iure prohibiti sint Ordinarii ne omittant. Quod si fideles a volumine quopiam arcere efficacius celeriusque se posse existiment si peculiari decreto illud improbent, hoc suo iure omnino utantur oportet sicut, gravioribus causis postulantibus, id ipsum consuevit S. Sedes, ad praescriptum canonis 1395 § 1 C. I. C.: « Ius et officium libros ex iusta causa prohibendi competit non solum supremae auctoritati ecclesiasticae pro universa Ecclesia, sed pro suis subditis Conciliis quoque particularibus et locorum Ordinariis ».

Denique haec Suprema Sacra Congregatio omnes Archiepiscopos, Episcopos et reliquos locorum Ordinarios iubet, occasione relationis dioecesanae, quidquid contra libros lascivos statuerint et exsecuti sint, Sancto Officio manifestare.

Ex aedibus Sancti Officii, die 3 Maii 1927.

L. ✠ S. R. Card. Merry del Val, *a Secretis.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

RHEGINEN.–NICOTRIEN.–OPPIDEN.

DISMEMBRATIONIS ET AGGREGATIONIS

DECRETUM

Inter paroecias quae ad archidioecesim Rheginensem pertinent, duae adnumerantur, quibus titulus a S. Xysto de Joppolo et a S. Maria de Molochio, quarum prior intra fines dioecesis Nicotriensis, altera autem intra limites dioecesis Oppidensis exstat.

Cum vero, ob nimiam distantiam istarum paroeciarum istorumque locorum, fideles, nonnisi magno cum incommodo, proprium adire queant pastorem et hic suas oves possit invisere, SSmus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. XI, maiori animarum bono semper intentus, praefatas duas paroecias de Joppolo et de Molochio ex archidioecesi Rheginensi seiungendas et dioecesibus Nicotriensi ac Oppidensi respective aggregandas statuit.

Ideoque, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesenti Consistoriali decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae forent, ac duplici exemplari exarando, paroecias de Joppolo et de Molochio, quibus finibus in praesenti circumscribuntur, ab archidioecesi Rheginensi separat et dismembrat, ex iisque paroeciam de Joppolo Nicotriensi dioecesi, paroeciam vero de Molochio dioecesi Oppidensi perpetuo assignat et aggregat.

Praecipit autem ut documenta omnia quae praedictas paroecias quoquomodo respiciunt, a cancellaria curiae archidioecesis Rheginensis extrahantur, debitaque forma cancellariis curiarum episcopalium Nicotriensis et Oppidensis respective tradantur.

Ad praemissa omnia exsecutioni mandanda, quatenus referuntur ad paroeciam de Joppolo, SSmus Dominus Noster deputare dignatus est R. P. D. Felicem Cribellati, Episcopum Nicotriensem et Tropiensem; quatenus vero ad paroeciam de Molochio spectant, R. P. D. Antonium Galati, Episcopum Oppidensem, eisque tribuens facultates opportunas et necessarias, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque personam in ecclesiastica dignitate constitutam; facto onere mittendi, intra sex menses, ad hanc S. Congregationem, authenticum exemplar peractae executionis. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. C. Consistorialis, die decima secunda Martii anno millesimo nongentesimo vigesimo septimo.

Pro Emo D. Card. Secretario
† Fr. Raphaël C., Archiep. Thessalonicen., *Adsessor.*

L. ✠ S.

Iosephus Pasquazi, *Officialis.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dnus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, Ecclesias quae sequuntur de proprio singulas Pastore providit, nimirum:

3 Aprilis 1927. — Titulari episcopali Ecclesiae Lebedensi, R. D. Augustinum Pacha, Administratorem Apostolicum territorii de Timisoara.

8 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Berissensi, R. D. Carolum Radoński, parochum civitatis Posnaniae, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Augusti Hlond, Archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis.

13 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Caliensi, R. D. Aloisium Hadrianum Diaz, in archidioecesi Bogotensi parochum loci *Anolaima.*

18 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Hippolyti, R. D. Michaelem Memelhaüer, Antistitem Urbanum, Canonicum poenitentiarium Capituli cathedralis Sancti Hippolyti.

22 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Novae Segobiae, R. P. D. Iacobum C. Sancho hactenus Episcopum Tuguegaraonensem.

— Cathedrali Ecclesiae Barrensi, R. D. Adalbertum Sobral, Vicarium generalem, Canonicum et Rectorem Seminarii dioecesis Aracajuensis.

— Cathedrali Ecclesiae nuper erectae de Jacarézinho in Brasilia, R. D. Ferdinandum Taddei, e Congregatione Missionis, Rectorem Seminarii Curitybensis.

29 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Adiacensi, R. D. Ioannem Rodié, Rectorem parvi Seminarii Foroiuliensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Hadrianopolitanae in Bithynia, R. D. Alexandrum Carlo, e Societate Parisiensi Missionum ad exteros, quem deputavit Vicarium apostolicum nuper erecti vicariatus de Lang-Long.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

PROVISIO ECCLESIAE

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, diei 16 Martii 1927, metropolitanae Ecclesiae Tokiensi praefecit R. D. Ioannem Alexium Chambon, e Societate Parisiensi pro Missionibus exteris.

II

NOMINATIONES

Brevi Apostolico nominatus est:

Decreto autem S. C. de Propaganda Fide sub die 22 Aprilis 1927, R. D. Laurentius Martin renunciatus est Praeses Consilii Nationalis Pont. Operis a Propagatione Fidei pro Australia.

16 Martii 1927. — *Vicarius Apostolicus de Ningyuanfu,* R. P. Stanislaus Baudry, e Societate Parisiensi pro Missionibus exteris.

III

APPROBATIONES

Decretis sacri Consilii christiano nomini propagando, Beatissimus Pater, die 1 Octobris 1926, Constitutiones Canonissarum Missionariarum a S. Augustino, definitive, atque, die 18 Novembris 1926, Constitutiones Sororum tertii Ordinis S. Dominici, Congregationis africanae sub titulo S. Catharinae Senensis, ad septennium per modum experimenti, approbavit.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ROMANA

INSTRUCTIO CIRCA MISSAS IN ORATIONE XL HORARUM CELEBRANDAS

Ut ea, quae in Clementina Instructione atque in Decretis huius Sacrae Rituum Congregationis iam praescripta fuerant circa Missas tempore Orationis XL Horarum celebrandas, novis Missalis Romani Rubricis omnino respondeant, eadem Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, haec declaranda censuit, nimirum.

I. Missa votiva solemnis de Ssmo Sacramento vel pro Pace permittitur iisdem diebus, quibus Missa votiva solemnis pro re gravi et publica simul causa celebrari potest, iuxta novas Missalis Romani Rubricas, tit. II, n. 3. Diebus autem quibus huiusmodi Missa impediatur, in Missa solemni diei currentis sub unica conclusione cum prima Oratione addatur Commemoratio de Missa votiva impedita; sed Oratio de Ssmo Sacramento, ob identitatem Mysterii, omittatur in Festis Passionis, Crucis, Ssmi Redemptoris, Sacratissimi Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis, iuxta Decretum n. 3924 ad IV, diei 3 Iulii 1896.

II. In eadem Missa votiva solemni de Ssmo Sacramento vel pro Pace, necnon in Missa solemni quae illius Missae votivae impeditae locum tenet, fiant tantummodo Commemorationes quae praescribuntur in Missa votiva solemni pro re gravi et publica simul causa, iuxta novas Missalis Romani Rubricas, tit. II, n. 3, et tit. V, nn. 3 et 4.

III. In Missa votiva solemni pro Pace et in Missis privatis quae triduo expositionis celebrantur, addatur Collecta de Ssmo Sacramento, etiam occurrentibus Festis solemnioribus universalis Ecclesiae, numquam autem sub unica conclusione cum Oratione Missae, sed post Orationes a Rubricis praescriptas; haec tamen Collecta omittatur, si Missa vel Commemoratio in Missa occurrens sit de identico Domini Mysterio, et in Missis quae in Commemoratione omnium fidelium defunctorum celebrentur.

IV. In Missa votiva solemni pro Pace, etiamsi extra Dominicam celebretur, Symbolum addatur, iuxta novas Missalis Romani Rubricas, tit. VII, n. 3 et Decretum n. 3922, tit. II, § 3, diei 30 iunii 1896.

Facta autem Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI, per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, relatione, Sanctitas Sua praefatam Instructionem circa Missas in Oratione XL Horarum celebrandas adprobavit, eamque adhibendam decrevit, contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 27 Aprilis 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

II

NOTANDUM

Pag. 154 praecedentis fasciculi duo Elogia emendanda sunt ut sequitur:

Die 4 Augusti (pænultimo loco)

In vico Ars, dioecésis Belliciénsis, in Gállia, sancti Joánnis Baptístæ Maríæ Vianney, Confessóris, qui in parochiáli múnere obeúndo éxstitit insígnis, et a Pio Papa Undécimo in sanctórum númerum relátus est.

Die 19 Augusti (antepænultimo loco)

Cadómi, diœcésis Baiocénsis, in Gállia, sancti Joánnis Eudes, Confessóris, Missionárii Apostólici, fundatóris Congregatiónis Presbyterórum Jesu et Maríæ necnon Ordinis Dóminæ Nostræ a Caritáte et promotóris litúrgici cultus erga sacratíssima Corda, quem Pius Papa Undécimus fastis sanctórum adscrípsit.

S. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

DECLARATIO

Quaesitum est a Sacra Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus utrum praescriptio in Litteris Encyclicis *Pascendi* (8 Septem. 1907) contenta hisce verbis: « *Theologiae ac Iuris Canonici Laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica Philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto* » adhuc vigeat.

Re Ssmo D. N. Pio PP. XI delata in audientia die 27 huius mensis ab infrascripto eiusdem Sacrae Congregationis Card. Praefecto, Ssmus respondere dignatus est:

Affirmative.

Romae, e S. Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, die 29 Aprilis 1927.

C. Card. Bisleti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Iacobus Sinibaldi, Ep. Tiberien., *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

SANCTI MARCI ET BISINIANI

NULLITATIS MATRIMONII (LADERCHI-MOLINO)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Raphaelis Molino, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via della Dataria, 94) die 6 Iunii 1927, hora 12, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam qua habebitur Turnus rotalis pro causae definitione:

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Raphaelis Molino curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

L. ✠ S. F. Solieri, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 4 Aprilis 1927.

Ioannes Ladelci, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Raphaël Molino, défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Via della Dataria, n. 94), 6 Juin 1927, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans ce cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. Raphaël Molino devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

ROMANA

NULLITATIS MATRIMONII (NUNZIANTE-FREWEN)

Cum Hugo Frewen, in causa conventus, locum novissimum suae commorationis (88 William Street, Norwood, South Australia) deseruerit et ignoretur ubi actu degat, eundem conventum citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, via della Dataria, 94) die 3 Augusti 1927, hora 12 ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam qua habebitur Turnus rotalis pro causae definitione:

An sententia Rotalis diei 4 Augusti 1924 confirmanda sit vel infirmanda in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Hugonis Frewen curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

L. ✠ S. M. Massimi, Decanus, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 3 Maii 1927.

Ioannes Ladelci, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Hugo Frewen (jadis a Norwood, Australie mérid., 88 William Street) défendeur en cette cause, Nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Via della Dataria, n. 94), 3 Août 1927, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la cause devant la Rote.

Doit on confirmer ou casser la sentence de la Rote, du 4 Août 1924?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit M. Hugo Frewen devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 5 Aprile 1927, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi la augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati ed i Consultori teologi, componenti la medesima, hanno discusso e dato il loro voto sul dubbio delle virtù in grado eroico nella causa di beatificazione e canonizzazione del Ven. Servo di Dio Giovanni Battista Trona, Sacerdote della Congregazione dell'Oratorio di S. Filippo Neri nella città di Mondovì.

Martedì, 26 Aprile 1927, nel Palazzo Apostolico Vaticano, coll'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati e Consultori teologi, componenti la S. Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione *Preparatoria* per discutere sopra due miracoli che si asseriscono operati da Dio per intercessione della Beata Caterina Thomas, Canonichessa Regolare professa dell'Ordine di S. Agostino, i quali miracoli vengono proposti per la sua canonizzazione.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con biglietti della Sgreteria di Stato, in data 23 Marzo 1927, la Santità di Nostro Signore si è benignamente degnata di annoverare fra gli Eminentissimi Porporati membri della Sacra Congregazione dei Religiosi l'Emo e Revmo Signor Cardinale Tommaso Pio Boggiani, e tra i Consultori della medesima Sacra Congregazione l'Illmo e Revmo Mons. Angelo Sinibaldi.

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

9 Dicembre 1926. L'Emo Sig. Cardinale Alessandro Verde, *Protettore dell'Istituto di Nostra Signora delle Missioni* (Hastings, Sussex).

8 Marzo 1927. Monsig. Giorgio Caruana, Arcivescovo tit. di Sebaste, *Internunzio Apostolico presso la Repubblica di Haiti.*

26 » » L'Emo Sig. Cardinale Bonaventura Cerretti, *Protettore del Pio Sodalizio di S. Michele Arcangelo ai Corridori di Borgo.*

Assistenti al Soglio Pontificio:

25 Giugno 1926. Monsig. Michele Kelly, Arcivescovo di Sydney.
31 Marzo 1927. Monsig. Giorgio Ambrogio Burton, Vescovo di Clifton.
12 Aprile » Monsig. Paolo Felice Beuvain de Beausejour, Vescovo di Carcassona.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

11 Marzo 1927. Monsig. Agostino Zaboglio, della diocesi di Como.
4 Aprile » Monsig. Massimo Sabatier, dell'archidiocesi di Parigi.

Prelati Domestici di S. S.:

20 Gennaio 1925. Monsig. Giulio Giuseppe Boucheras, della dioc. di Clermont.
» » » Monsig. Guglielmo Sembel, della medesima diocesi.
25 Giugno » Monsig. Ambrogio Rosa, dell'archidiocesi di Milano.
12 Gennaio 1927. Monsig. Filiberto Edmondo da Silva, dell'archidiocesi di Rio Janeiro.
2 Febbraio » Monsig. Gennaro Tignola, dell'archidiocesi di Napoli.
» » » Monsig. Agnello Mannato, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Michele Jetti, della medesima archidiocesi.
4 Marzo » Monsig. Pietro Peloso, della diocesi di Acqui.
12 » » Monsig. Primo Carmignoto, della diocesi di Padova.
16 » » Monsig. Giovanni Sheehan, dell'archidiocesi di Sant'Antonio (S. U. A.).
24 » » Monsig. Antonio Delort, della diocesi di Saint-Flour.
» » » Monsig. Flaviano Bourbouze, della medesima diocesi.
1 Aprile » Monsig. Giuseppe Lodzin, della diocesi di Katowice.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Commenda dell'Ordine Piano:

29 Marzo 1927. Al sig. Elia Shama (Egitto).
5 Aprile » Al sig. Felice Frankowski (Polonia).
9 » » Al sig. comm. Lorenzo De Rossi (Roma).
13 » » Al sig. avv. Giovanni Battista Castelli, dell'archidiocesi di Napoli.

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

5 Aprile 1927. Al sig. Luigi Borno, Presidente della Repubblica di Haiti.
18 » » A S. E. il sig. Edoardo Aunòs, Ministro del Lavoro nel Regno di Spagna.

La Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

23 Marzo 1927. Al sig. Luigi de Pedroso y Madan, conte de San Esteban de Cañongo, della diocesi di Madrid.

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

23 Febbraio 1927. Al sig. Osvaldo Bona, della diocesi di Biella.
5 Marzo » Al sig. conte Carlo Cecilio Blunt, dell'archidiocesi di Parigi.
28 » » Al sig. cav. Alfredo Ciani (Roma).
31 » » Al sig. Leonardo Richarz, della diocesi di Hildesheim.
1 Aprile » Al sig. Antonio Mies, dell'archidiocesi di Colonia.
9 » » Al sig. comm. Alberto Pelagallo (Roma).
» » » Al sig. comm. Mario Maruffi (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

28 Gennaio 1927. Al sig. prof. Chunkath Giuseppe Varkey, della diocesi di Mangalore.
15 Febbraio » Al sig. Paolo Cheer, della diocesi di Versailles.
22 Marzo » Al sig. Vincenzo Cizza, della diocesi di Cotrone.
23 » » Al sig. Giuseppe Rumor, della diocesi di Vicenza.
25 » » Al sig. architetto Giovanni Battista Maillard, della diocesi di Lilla.
29 » » Al sig. Giuseppe Lietaud, della diocesi di Marsiglia.
2 Aprile » Al sig. Luigi Lazzati dell'archidiocesi di Milano.
12 » » Al sig. Leonardo Adriano Verhoeff, della diocesi di Harlem.

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa:

4 Aprile 1927. Al sig. architetto Carlo dell'Acqua, dell'archid. di Milano.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa:

24 Marzo 1927. Al sig. Giuseppe Maria Bellini, dell'archidiocesi di Lanciano.
25 » » Al sig. Giuseppe Miccinelli (Roma).
30 » » Al sig. Tommaso Ahern, della diocesi di Perth.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rma Monsig. Maggiordomo, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

23 Marzo 1927. Monsig. Stefano Nádler, dell'archidiocesi di Strigonia.
25 » » Monsig. Manfredo Leite, dell'archid. di S. Paolo (Brasile).
7 Aprile » Monsig. Goffredo Peruter, della diocesi di Trento.
8 » » Monsig. Guido Mazzocco, della diocesi di Padova.
11 » » Monsig. Francesco Jaitner, della diocesi di Breslavia.
22 » » Monsig. Camillo Aldrighetti, della diocesi di Verona.
» » » Monsig. Luigi Gonzaga de Moura, della diocesi di Campinas.
» » » Monsig. Geronimo Baggio, della medesima diocesi.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S :

31 Marzo 1927. Il sig. Federico Francesco Corballis, dell'archidiocesi di Westminster.
11 Aprile » Il sig. barone Giovanni de Blücher, della diocesi di Meissen.
» » » Il sig. marchese Maria Pietro de Belloc de Chamborant, dell'archidiocesi di Parigi.

Cameriere d'onore in abito paonazzo di S. S.:

11 Aprile 1927. Monsig. Felice Canelli, della diocesi di S. Severo.

Cameriere d'onore extra urbem *di S. S.:*

12 Aprile 1927. Monsig. Francesco Paolo Recchini, dell'archidiocesi di Lanciano e Ortona a Mare.

Cameriere d'onore di Spada e Cappa Soprannumerario di S. S.:

13 Aprile 1927. Il sig. Guglielmo Assia Steffen, della diocesi di Bressanone.

Cappellani Segreti d'onore di S. S.:

9 Aprile 1927. Monsig. Giulio Mátrai, dell'archidiocesi di Strigonia.
12 » » Monsig. Vittore Tóth Zoltán, dell'archidiocesi di Agria.

NECROLOGIO

7 Aprile 1927. Monsig. Giacomo Downey, Vescovo tit. di Adada.
14 » » Monsig Giuseppe Hoare, Vescovo di Ardagh.

ANNUARIO PONTIFICIO per l'anno 1927

Volume in-12°, di pp. 956, adorno di un artistico ritratto di Sua Santità Pio XI. – Legato in tela rossa, con titolo in oro e stemma sul piano.

Prezzo per ogni copia:

In Roma L. **25** — In Italia, franco di posta L. **28** — Per l'Estero L. **35** —

RITUS SERVANDUS in Coronatione Imaginis B. Mariae Virginis.

In-4°, pp. 8 in rosso-nero.

Romae L. **2** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **2,50** Apud Exteros L. **3,25**

IN FESTO S. IOANNIS A CRUCE Confessoris et Ecclesiae Doctoris

(die 24 Novembris):

MISSA. In-folio, pp. 2, caratteri rosso-neri, nei margini 18×27 (gr. 5).

In Roma L. **0,60** In Italia, franco di posta L. **0,70** Per l'Estero L. **1,10**

MISSA. In-4° piccolo, caratteri neri e rubriche in corsivo, *carta comune* (15×24).

In Roma L. **0,50** In Italia, franco di posta L. **0,60** Per l'Estero L. **1** —

OFFICIUM. In-16°, caratteri rosso-neri, carta indiana, pp. 6.

In Roma L. **0,80** In Italia, franco di posta L. **0,90** Per l'Estero L. **1,30**

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
Missa. In festo B. Antonii Mariae Gianelli, Confessoris Pontificis. In-folio, 1 pag. in rosso-nero (nei margini 18×27)	0,60	0,70	1,10
Catechismo della Dottrina Cristiana pubblicato per ordine di Sua Santità Pio Pp. X. Un vol. di pp. VIII-136 e copertina (gr. 96), ed. 1927 .	1 —	1,30	1,60
— **Primi elementi della Dottrina Cristiana** tratti dal Catechismo pubblicato per ordine di Sua Santità Pp. Pio X, pp. 48 e copertina (gr. 35)	0,35	0,45	0,55
— **Preghiere** per il Santo Sacrificio della Messa con le **Formole da recitarsi in comune** tratte dai *Primi elementi della Dottrina Cristiana* pubblicati per ordine di Sua Santita Pio Pp. X, pp. 20. Copie cento (gr. 760)	15 —	16,50	18 —
Concilium plenarium Sardum, Arboreae seu Oristanei anno 1924 habitum, Caietano Card. De Lai, Episcopo Sabinensi, Summi Pontificis Pii XI Legato a Latere Praeside. Un vol. in-8°, di pp. 84 (gr. 230)	10 —	11 —	12 —
Concilium plenarium Siculum Panormi anno 1920 habitum Caietano Card. De Lai, Ep. Sabinensi, Summi Pontificis Benedicti XV Legato a latere, Praeside. Un vol. in-8°, di pp. 108 (gr. 265)	5 —	6 —	7 —
Consacrazione (La) Episcopale secondo il Pontificale Romano. Parti principali più adatte a coltivare la pietà dei fedeli assistenti (Testo e versione). In-16°, di pp. 71	1,50	1,80	2,10
Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum, ex Actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata. Voll. 7 in-8° mai., charta manufacta. – Ab anno 1588 num. I usque ad annum 1911, num. 4284: pp. XXIV-486; XI-484; VIII-383; 441; 523; XI-177; VIII-56; peso complessivo, gr. 6100	212 —	220 —	247 —
Si vendono separatamente soltanto:			
Vol. VI. Appendix I. Ab anno 1900, num. 4052, ad annum 1911, num. 4284, cum suo Indice Generali (Nuova ristampa, gr. 530) . .	25 —	27 —	28,50
Vol. VII. Appendix II. Ab anno 1912, num. 4285, usque ad annum 1926, num. 4404, cum suo Indice Generali – 1927.	12 —	13 —	14 —

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"** (*Libreria Vaticana – Vaticano – Roma*).

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
De vita christiana, libri VII quos ex genuinis operibus S. P. Augustini collegit Fr. Antoninus Tonna-Barthet, O. E. S. A. – Editio altera emendata et aucta. – Romae, Typis Polyglottis Vaticanis, 1927.			
Foliis solutis (*brochure*)	10 —	11 —	12 —
Linteo contectum	13 —	14 —	15 —
Quae ad christianam perfectionem maxime pertinent auctor, quasi apis argumentosa, ex ingenti prato operum S. Augustini studiosissime colligens hoc opus digessit: in quo, eiusdem Doctoris eximii et sententiis et verbis adhibitis, totidem libris in diversa capitula opportune distributis, universam doctrinam de septem gradibus christianae perfectionis funditus absolvit. Nulli igitur dubium quin opus maximo sit et praeclaro adiumento futurum non solum clericis, qui in sacris Seminariis ad pietatem se exercent, sed etiam verbi divini et sacramentalis poenitentiae ministris.			
Rito della consacrazione di una Chiesa. Testo latino e versione ad uso dei fedeli. Un vol. in-16°, pp. 152	2,50	2,80	3,30
La nostra fede, di Mons. Massimo Massimi. Due voll. in-12°, terza ediz.	10 —	12 —	13 —
Vol. I. **Le basi del Domma Cattolico,** pp. 116.			
Vol. II. **La sintesi del Domma Cattolico,** pp. 174.			
Preces iussu Leonis Papae XIII, in omnibus Orbis Ecclesiis, post privatae Missae celebrationem, flexis genibus recitandae; (a tergo) **Lode al Santo Nome di Dio.** Ediz. in rosso-nero e fregio a colori, montata su cartone, con bordi dorati (gr. 70)	1,50	2 —	2,50
Martyrologium Romanum, Gregorii XIII iussu editum, Urbani VIII et Clementis X auctoritate recognitum ac deinde anno MDCCXLIX Benedicti XIV opera ac studio emendatum et auctum. Prima post typicam editio propriis recentium sanctorum officiorumque elogiis expleta, a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XV adprobata, SS. Rituum Congregationis curis impressa. – Editio in-8° min. (22×14), in charta optima et levicata et charactere rubro-nigro, fol. CXX-567, (gr. 1060)	20 —	23 —	26,50
Rituale Romanum Pauli V Pontificis Maximi jussu editum aliorumque Pontificum cura recognitum atque auctoritate Ssmi D. N. Pii Papae XI ad normam Codicis Iuris Canonici accommodatum. – Editio typica. Edizione su carta indiana: altezza della pagina, compreso il margine, mm. 145, larghezza mm. 90, spessore del libro mm. 20. Luce esatta della stampa mm. 125×76. Peso gr. 240. Un volume in-18° di pp. VIII-248, adorno di varie artistiche incisioni. Stampa accurata, caratteri neri e nitidissimi impressi in rosso-nero, con riquadratura rossa alle pagine. Carta sottile ed opaca. – Sciolto	17 —	19 —	20 —
Legato in tela nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio rosso* e busta	23 —	25 —	26 —
Legato in tela nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio dorato* e busta	24 —	26 —	27 —
Legato in pelle zigrino nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio rosso* e busta	29 —	31 —	32 —
Legato in pelle zigrino nera, angoli arrotondati, dorso flessibile, *taglio dorato* e busta	32 —	34 —	35 —
Normae secundum quas S. Congregatio de Religiosis in novis Religiosis Congregationibus approbandis procedere solet; in-12°, di pp. 16 (gr. 25)	1 —	1,30	1,60
Liguori (S. Alfonso M. de'). **Massime eterne,** con l'aggiunta di altre meditazioni e preghiere. Un volumetto in-32°, di pp. 424, rilegato in tutta tela inglese, angoli rotondi, taglio rosso (gr. 125)	2,80	3,25	4 —
— **Pratica di amar Gesù Cristo.** Opera utile a quelle anime che desiderano accertare la salute eterna e di camminare per la strada della perfezione. Un volume in-18°, pp. 381 (gr. 125)	2 —	2,40	2,60
— **L'Ufficio e la Messa.** Nuova edizione con l'aggiunta di opportune preghiere, pp. VIII-163, in-18° (gr. 95)	0,50	0,75	1 —

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"** (*Libreria Vaticana - Vaticano – Roma*).